



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Apodixes, Sive Demonstrationes Tres Horrendarvm
Blasphemiarvm Ecclesiae A Calvino Reformatae, Circa
tres primos Symboli Catholici Articulos**

Bosendorf, Hermann

Monasterii VVestphaliae, 1608

Secvnda Thesis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35415

APOD. I. CALVINISTARVM

SECVNDA THESIS.

Sed duabus è Caluino sumptis propositionibus hæc
& breuius, & non minus aperte concludamus. Ait ip-
semet, in instructione contra libertinos ca. 14.
Libertinos, eò quod Deum astruant scelerum
authorem, non tantum diabolum cum Deo
societate coniungere, sed etiā in Deum ipsum
transformare. At qui ille ipse Deum astruit scelerum
authorem, cum scribit 1. Inst. c. 18. §. 3. Iam satis a-
perte ostendi, Deum vocari omnium eorum
(puta peccatorum quæ peccata sunt, de quibus inibi a-
git) authorem, quæ isti Censores (Doctores Ec-
clesie Catholice) dicunt otioso tantum eius per-
missu contingere. Transformat igitur etiam ipse-
met Deum suum suorumq; in Diabolum. vt proinde
sectatores eius culpari non debent; quod vel in Gal.
lia Parisijs in æde D. Medardirubrum in v. trea fene-
stra cacodæmonem, disiecta Christi cruce reliquerint;
vel in Anglia Londini, in templo D. Pauli solam Luci-
feri imaginem referuarint; vel Antuerpiæ in Belgio in
primaria Basilica, satanae statuam alijs euersis exu-
stusq; retinuerint; vel Lugduni Batavorum reuerten-
tes à diruto suburbanò Franciscanorum Monasterio,
pro Christi signo & vexillo a terrimum dæmona suo
agnini prætulerint. Delrio lib. 3. Disq. Mag. par.
1. q. 7. Sect. 1. Bredenbachius lib. 7. cap. 38. Lin-
dan. de fug. idol. lib. 1. c. 15.

Quid contra hæc prædicans? mentitur om-
nia, tumultuatur, conuictiatur. Sed vt ordine
res fiat tota, primum theses ad Syllogisticam
for-

Excusatio
dæmono-
latriæ Cal-
vinianæ.

formam reuocemus, tum aduersarij subterfuga excutiamus, deniq; quæ impingit menda-
cia erroresq; retorqueamus.

CAPVT III.

*Secundum Caluini doctrinam Diabolum
constitui Deum reformatorum
à Caluino.*

Deduxi pluribus hanc rem aduersus Caluinoprædicantem meum in opusculo: Augenscheinliche aufführung daß der Caluinistē Gott der Teuffel sey: wider Hans Wurff. Et in eiusdem Apologiæ irrefutata confutatione widerlegung der Caluinischen Abfertigung. Sed quod hæc vernaculo sermone sint elaborata, aduersarius autem etiam latine calumnietur, modo latina phrasi rem eandem ferè reddam, simulq; multiplicibus pseudologijs Vorstianis occurram. Verum ne Andabatarum pugnam pugnemus, principio statutum quæstionis oculis subijciamus. Hoc igitur est quod anquiritur, an Deus peccata, non solum permittat fieri à malis, sed an sua etiam voluntate velit, decernat, iubeat, vt fiant: iterum, non an ordinet permissa peccata ad bonorum hominum probationem & malorum castigationem(id enim extra disputationis aliam est) sed an intus in mentibus hominum operetur malum, & non tantum deferendo

B permit-

Status con
trouersie.